



öffentlichen Prüfung

der Schüler

des

Königlichen

Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums zu Posen

am 1. April 1844.

ladet

alle Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst und ergebenst ein

der Direktor des Gymnasiums

D^r. F. G. KIESSLING,

Konfistorial- und Schulrath.

Inhalt:

- 1) De aliquot Horatii carminibus commentatio critica. Prof. Martin.
- 2) Schulnachrichten von Ostern 1843 bis Ostern 1844. Der Direktor.

POSEN,

gedruckt bei W. Decker & Comp., Königliche Hofbuchdrucker.



öffentliche Prüfung

der Schüler

des

Königlichen

Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums zu Posen

am 1. April 1844.

ladet

alle Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst und ergebenst ein

der Direktor des Gymnasiums

D^r. F. G. KIESSLING,

Konsistorial- und Schulrath.

Inhalt:

- 1) De aliquot Horatii carminibus commentatio critica. Prof. Martin.
- 2) Schulnachrichten von Ostern 1843 bis Ostern 1844. Der Direktor.

POSEN,

gedruckt bei W. Decker & Comp., Königliche Hofbuchdrucker.

ak 849

öffentliche Bibliothek



III E

16

Schreib- u. Buchbindungs-Gewerkschaft in Posen

am 1. April 1844

209463 III/1844

Die Bibliothek ist ein Geschenk des Schulvereins

ausgegeben von der Bibliothek

ausgegeben von der Bibliothek



1844

- 1. Die Bibliothek enthält ausschließlich Bücher, welche
- 2. Einbandwerk von Holz, Leder, oder Eisen sind.

POSEN

ausgegeben von der Bibliothek

1953. D. 738

De aliquot Horatii carminibus commentatio critica.

Cum proximo auctumno Horatii carminum, quae per complures annos nisi aliud agens non attigeram, interpretationem aggredienti primum mihi Peerlkampii editio, quam fama tantum noveram, in manus venisset, exhorruui paene, quantas ille strages edidisset versuum, stropharum, carminum, primoque me fateor damnatoria eius iudicia non sine multa legisse suspicione. Quamquam enim ex quo ipse iudicare didiceram multa Horatii carmina me non magnopere tenerant, quippe in quibus quam primam in poëta quaerimus vim poëticam saepissime desiderarem, et universa mea de Horatio poëta lyrico sententia propemodum cum Teuffelii iudicio, quod nuperime ex eius libello qui *Charakteristik des Horaz* inscribitur cognovi, congruerat, atque assuta quaedam illis aliena manu esse additamenta cum alii iudicarent, tum ipse persuasum habebam, nunquam tamen tot tantisque interpolationibus haec carmina fuisse obnoxia suspicatus eram. Atque initio quidem ego aliis negotiis impeditus in hanc rem minus accurate inquisivi, praesertim cum in secundi libri quem forte explicabam carminibus decem prioribus Peerlkampius minus saevisse videretur. Nec tamen me fugiebat non pauca ab eo recte reprehendi. Sed cum haec res paullatim magis magisque me advertisset, simulac feriae Christi natalium advenerunt, hoc mihi muneris imposui, ut Peerlkampii iudicia quam possem diligentissime explorarem. In quo negotio ne illius argumentis meum iudicium praeoccuparetur, ita rem institui, ut primo singula carmina attente legens ipse quid Horatio non posset dignum existimari inquirerem, et quae suspecta aut spuria mihi viderentur notare, tum Peerlkampii annotationem legerem et examinarem. Quo modo cum quattuor carminum libros absolvissem, interiecto plus menstruo tempore, omisso et Peerlkampio et mea annotatione, aliud Horatii exemplar sumpsi repetitaque lectione iterum notavi quae me offenderent. Tum utramque notationem comparans cum plerumque me idem in utraque lectione sensisse viderem, fuerunt tamen etiam et quae in priore lectione in suspensionem vocassem aut damnavissem, in altera intacta reliquissim, et quae cum prius me non offendissent, postea reprehensione digna essent visa. Etsi autem nequaquam iam ubique mihi verum invenisse videor, sed hanc rem iterum iterumque explorandam censeo, tantum tamen iam nunc mihi persuasi, revera multo plura quam vulgo suspicantur Horatio aliena manu esse adiecta; quod quomodo fieri potuerit, ut adeo tota carmina illi falso adscriberentur, Peerlkampius in epistola ad Descurium Horatio suo praemissa

satis mihi videtur demonstrasse. Ut vero quid de Peerlkampio sentiam declarem, quamvis saepissime mea sententia ab illius iudicio discrepet, quamvis non raro ille argutius quam verius iudicavit, multa mira protulerit, interdum propemodum calumniatus sit omninoque saepe poëtae iniuriam fecerit, tamen etiam verum saepissime vidisse mihi videtur et omnino non male de poëta meritus esse. In hoc tamen non levem errorem idem commisit, quem iam ab aliis viris doctis notatum memini, quod nihil nisi quod omnibus paene numeris absolutum esset Horatio dignum putans propemodum quidquid aliqua de causa vituperandum sibi videretur ab illo censuit non posse profectum esse. Me quidem ei non principem inter poëtas lyricos locum concedere iam supra significavi, unde sequitur, ut etiam minus bona et vitiosa ab eo dici potuisse putem. Erit igitur quaedam quasi norma adhibenda, qua quid Horatio dignum, quid indignum censeamus constituatur. Quam quidem maxime multa et diligentissima lectio praebebit iudiciumque multo usu exercitatum et subactum. Ex iis autem quae dubitationem non admittunt iudicium formandum erit de dubiis et suspectis. Quidquid vero de poëtico Horatii ingenio iudicaris, hoc quidem cum ex Sermonibus eius, tum maxime ex Epistolis apparet, limato illum fuisse praeditum iudicio subtilissimoque recti et pulchri sensu, ut ne in carminibus quidem, quibus ipse multis locis tantum tribuat immortalēque inde laudem sibi augeretur, aut ea quae orationem habent vitiosam, aut quae ineptam praebent sententiam, aut denique quae loco inepto sunt posita, digna illo aut profecta ab illo videri debeant, licet ipse etiam interdum dormitaverit. Tota autem haec quaestio cum digna mihi visa esset quae subtilius tractaretur et ad finem quantum fieri posset perduceretur, consilium ceperam, si idem animus mihi maneret, proxima quae mihi edenda esset scriptio scholastica eam proponere. Verum cum is qui nunc programma scripturus erat multis negotiis impeditus sua absolvere non potuisset, ego, ne plane deesset talis scriptiuncula, iam nunc de aliquot Horatii carminibus, in quibus quae Peerlkampius in suspicionem non vocavit ego spuria esse existimarem, sententiam meam explicavi. Quod quo facerem audacius, permovit me quodammodo God. Hermannii auctoritas, qui similem eiusmodi commentatiunculam de Carm. IV. 8. v. 15—20. ante hos septem annos a me editam approbasset, et cuius cum sententia mihi tum ignota de Carm. I., 1. mea congruisset.

De Carm. I., 1. v. 1. 2. 35. 36.

Cum multis annis interiectis denuo hoc carmen legerem, iterum, ut iam diu et saepe antea factum erat, offensionem mihi fuerunt duo versus ultimi et sententia parum apta et orationis vitio, quia pro *quodsi* oppositionis ratio aut *quodsi tu*, quod tamen metrum non admitteret, aut *tu si* postularēt. Sententiam autem parum aptam dico, quia si Euterpe et Polyhymnia poëtae favent (v. 33. 34.), i. e. si ingenium habet poëticum, Maecenatis iudicio quamvis polito tamen nimium tribuit et ad indignam descendit adulationem. Deinde vero nimis tenuē et ieiunum mihi videbatur, quod grandiloquam illam allocutionem: *Maecenas, atavis edite regibus, o et praesidium et dulce decus meum*, trīginta duobus versibus interiectis nihil ad Maecenatem pertinentibus iisque satis exilis argumenti nihil sequeretur nisi hoc: *quodsi me lyricis vatibus inseris, insigni feriam sidera vertice*. Nec tamen

quid facerem habebam, cum initium illud sane quaedam ut ad Maecenatem converterentur postulare. Iam vero alia res me movebat. Videbam enim apud Orellium et hoc carmen et reliqua quae adhuc monostropha edita essent Meinekio auctore in strophas quaternorum versuum divisa esse idemque iam ante Meinekium factum memineram a Lachmanno in Catulli carmine Asclepiadeo (30.). Quod qua niteretur auctoritate ignorabam atque etiam nunc ignoro, licet postea Hermannum sic iudicare viderim, scite observasse A. Meinekium, omnia Horatii carmina ex strophis quattuor versuum esse composita. Iam de ea re cogitans tunc sic ratiocinatus sum: cum neque Graecorum exemplis, quae nulla exstarent integra, haec ratio niteretur, nec, quod quidem ego scirem, metricorum auctoritate, tamen indicia quaedam necesse esse exstare. Horum autem maximum debere esse sententiarum et interpunctionis rationem. Nam cum etiam imparium versuum strophae, quamvis ipsa forma clausulae earum indicarentur, plerumque certe sententias clauderent, multo magis hoc necessarium esse in strophis quae aut ex uno et eodem versuum genere aut ex alternantibus essent compositae: qui enim aliter strophas posse distingui? At cum ad hanc legem hoc primum carmen examinarem, ut nunc quidem se habet, semel tantum v. 28. sententiam cum strophae fine terminari vidi, praeterea v. 8. certe minorem esse distinctionem, sex strophas inscite in mediis enuntiatis terminari, sententias stropharum ratione discerpi. At versibus I. 2. 35. 36. omissis omnia videbam apte procedere, omnes strophas plena sententia claudi, praeter solam septimam (v. 30.), ubi in oratione magis vivida et commota posset esse excusatio. Itaque iam vix dubitabam, quin quattuor illi versus (I. 2. 35. 36.) essent delendi. Ipsam autem allocutionem posse ex II. 17. repetitam esse. Peerlkampium vero versus 3. 4. 5. 9. 10. 30. 35. eicientem minus feliciter rem gessisse non magnopere mirandum mihi videbatur, quippe qui strophicam illam rationem non haberet cognitam. Ecce vero, praeter opinionem ex Analectis Horatio Orelliano subiectis, in quae librum evolvens incideram, summo meo gaudio intellexi God. Hermannum in Dissertatione a. 1842. de primo Horatii carmine edita eosdem quos mihi versus recidendos videri.

Forte eodem die quo haec acciderant ad me venit Kiesslingius. Cui cum ea narrasem et me Hermannum litteris rogare velle, ut dissertationis illius copiam mihi faceret, magno meo gaudio se ille habere eam dixit statimque ad me missurum. Idque benigne fecit. Tum etiam quae de stropharum ratione existimaveram Hermannii sententia intellexi comprobari. Sic enim ille (p. 10.): *»Hic vero eximium nobis auxilium fert illa quam dixi Meinekii observatio. Nam recisis et primis duobus et duobus postremis carminis versibus non solum strophas plena sententia conclusus, nisi prope finem, quo loco alacrior et concitator sermo illam aequabilitatem negligi patitur, sed etiam totum carmen apte pulcreque compositum habemus.«* — Ceterum confirmari quodammodo haec strophica ratio videtur carmine illo amoebaeo (C. III. 9.) ubi personis colloquentibus quaterni versus sexies sunt tributuri. — Postea cetera etiam carmina quae huc pertinent ad hanc legem examinans certe multo pluribus locis eam observatam vidi, neglectam autem maxime ubi maior affectus eam negligi pateretur. Spectanda autem hic sunt carmina I. 3. 4. 7. 8. 11. 13. 18. 19. 28. 36., II. 18., III. 9. 15. 19. 24. 25. 28. 30., IV. 1. 3. 7. 8. 10. Ex quibus eximenda sunt III. 9., quod iam modo commemoravi, et IV. 8. Nam cum hoc 34 versus habeat, sive eieceris quattuor

illos versus quos ego eliminandos censeo (15—20: *non celeres fugae — lucratus rediit*); sive retinueris, strophica ratio neglecta invenietur. Itaque Meinekius post v. 17. quem cum Bentleio damnat duorum versuum lacunam significans tres Horatii versus periisse censuit. In hac ratione plena sententia strophae altera, tertia, quarta, octava concluduntur; prima, quinta, sexta, septima ex concitatore sermone facilem habent excusationem. Eaedem stropharum terminationes erunt, si eiectis quattuor illis quos ego damnavi versibus duo Horatii excidisse statuerimus, nisi quod tum non novem, sed octo stropharum erit carmen. Sin hanc rationem reieceris, statuendum erit, praeter illos quattuor duo versus esse recidendos, qui non possunt esse alii quam vv. 7. 8.: *Hic saxo, liquidis ille coloribus Sollers nunc hominem ponere, nunc deum.* Quae verba quamvis per se sint bona, tamen facile possunt desiderari, nec Censorino ignotum erat, Parrhasium pictorem, Scopam statuarium fuisse egregium. Ad hanc rationem cum inclinassem, ex Orellii annotatione intellexi, Kneightleium Hibernum propter strophicam rationem eosdem versus subditicios esse statuere. Fatendum tamen est, sic duas tantum strophas, alteram (v. 10.) et sextam (v. 30.) plena sententia terminari; primam, tertiam (v. 14.), quartam (v. 22.), quintam (v. 26.) media in enuntiatione exire. Quam liberio rem rationem etiam in aliis quibusdam carminibus adhibitam videbimus. Apponam autem tabulam reliquorum carminum, quo facilius tota rei ratio conspiciatur.

Carm. I.	3.	lex illa observata	7	locis,	neglecta	2	locis
" "	4.	" "	4	" "	"	—	"
" "	7.	" "	3	" "	"	5	"
" "	8.	" "	2	" "	"	1	"
" "	11.	" "	—	" "	"	1	"
" "	13.	" "	4	" "	"	—	"
" "	18.	" "	1	" "	"	2	"
" "	19.	" "	3	" "	"	—	"
" "	28.	" "	2	" "	"	6	"
" "	36.	" "	2	" "	"	2	"
"	II. 18.	" "	3	" "	"	6	"
"	III. 15.	" "	1	" "	"	2	"
" "	19.	" "	5	" "	"	1	"
" "	24.	" "	9	" "	"	6	"
" "	25.	" "	1	" "	"	3	"
" "	28.	" "	3	" "	"	—	"
" "	30.	" "	—	" "	"	3	"
"	IV. 1.	" "	8	" "	"	1	"
" "	3.	" "	3	" "	"	2	"
" "	7.	" "	6	" "	"	—	"
" "	10.	" "	—	" "	"	1	"
		Summa	67	" "	"	44	"

Ex posteriorum locorum numero aliquot certe minimam habent interpunctionem, plerique ea quam supra attuli excusatione utuntur, vehementiore sermonis commotione, imprimis III. 25. et 30. — Postremo monebo, Catulli carm. 30. huic rationi totum convenire.

De Carm. II. 13.

Ille et nefasto te posuit die,
 Quicumque primum, et sacrilega manu
 Produxit, arbos, in nepotum
 Perniciem opprobriumque pagi;

5 Illum et parentis crediderim sui
 Fregisse cervicem et penetralia
 Sparsisse nocturno cruore
 Hospitis; ille venena Colcha

Et quidquid usquam concipitur nefas
 Tractavit, agro qui statuit meo 10
 Te, triste lignum, te caducum
 In domini caput immerentis.

Quid quisque vitet, nunquam homini satis
 Cautum est in horas: navita Bosporum
 Poenus perhorrescit neque ultra 15
 Caeca timet aliunde fata,

Miles sagittas et celerem fugam
 Parthi, catenas Parthus et Italum
 Robur; sed improvisa leti
 Vis rapuit rapietque gentis. 20

Quam paene furvae regna Proserpinae
 Et iudicantem vidimus Aeacum
 Sedesque discretas piorum et
 Aeoliis fidibus querentem cett.

Quae in his eicienda putarem, Peerlkampii exemplo inclinatis litterarum formis significavi. Ac primam quidem stropham iam Peerlkampius damnavit. »*Quietus etiam, inquit, quattuor versus sustulit. Neque haec tam perturbato verborum ordine a bono scriptore dici potuerunt. Viri eruditi variis coniecturis obscuritatem illustrare tentarunt. Cogitavi aliquando de verbis ita transponendis: Quicumque primum te posuit die Ille et nefasto et sacrilega manu Produxit. Sed versus sunt spurii, et propter intricatam illam constructionem, et ineptas rei eiusdem sine ulla gravitate repetitiones. Quis enim aequo animo haec ferat: Quicumque te posuit, produxit, o arbos, qui te statuit agro meo, o triste lignum?*« Haec quamvis verissime dicta mihi videantur, sunt tamen etiam alia quae reprehensione digna sint et ab oratione et a sententia. De illa ut prius exponam, quis Horatium tam inscite rem egisse putaverit, ut *ille et — et — illum et — et — ille — et —* diceret? Tolerabilior paullo forma tum fortasse fiet, si *et v. 5. pro etiam dictum putabimus. At non multum lucrabimur propter sententiae labem. Nam quid est arborem sacrilega manu producere? Producere enim arborem cum nihil possit esse nisi grossziehen, manu quidem hoc nequaquam fit, etsi quaedam manu sunt peragenda, ut palo alliganda arbor, amputanda, irriganda, alia. Deinde mire sane dictum in opprobrium pagi arborem illam esse positam et productam, quasi pagi aliqua possit esse culpa. Certe multis pagis talis culpa indeque opprobrium esset tribuendum. Vix igitur dubium esse potest, quin qui hanc stropham praemisit Horatium et forma orationis infeliciter imitatus sit et sententiam male variaverit, in quo intolerabiles admisit repetitiones. Nam praeter ea quae Peerlkampius attulit, *sacrilegae manus* respondet patris et hospitis caedes, veneficia et quidquid usquam concipitur nefas; verbis *in nepotum perniciem* variantur haec: *te caducum in domini caput immerentis.**

Verum non magis mihi Horatii esse videntur strophae quarta et quinta. Quibus sublatis quam apta fit oratio, quam convenienter mortis proxime imminentis periculum statim subsequitur orci cogitatio! Nam cum tanquam in re praesenti hoc carmen Horatius dicat aut certe dicere videri velit, qui in ipso summo terrore quo paene iam perisse sibi videtur generalibus istis sententiis et locis communibus qui a v. 13. ad v. 20. leguntur locus esse poterat? Quibus tanquam frigida aqua perfunditur sensus vehementissimo illo affectu abreptus et incensus. Quis denique



illis versibus omissis quidquam desideret? Quid enim inter vitae periculi et mortis cogitationem potest intercedere? Atque ipsae illae sententiae interiectae ne recte quidem sunt dictae. Sed videamus singula. *Quid quisque vitet, nunquam homini satis cautum est in horas.* In his aut *quisque* aut *homini* falso et inepte additum. Cum enim non hoc dictum esse possit, nemini unquam satis cautum esse quid alius quicumque vitet, sed necessario quid ipse vitet, *homini* apparet ad *quisque* referendum esse. Illud vero pronomini locum non potest habere, ut pro *ei* dictum esse videatur, cum nomen illud pariter ac *vir* pronominaliter non possit dici nisi de certa persona, quae hic nulla est. Unde manifestum est aut *quisque* aut *homini* supervacaneum esse. — Iam haec sententia generalis exemplis illustratur non aptissimis. Certe *navita Poenus Bosporum perhorrescens* non bene electus est. Etiam Peerlkampius offenditur. *Sumit exemplum, inquit, nautae et militis. Cur nautae Poeni, non intelligo. Si Poenus servetur, vix aliter facere possumus, quin miles etiam Poenus accipiatur. Scilicet: »Navita Poenus perhorrescit Bosporum, miles Poenus perhorrescit Parthos.«* Scio quomodo hoc evitari posse videatur: nempe *miles Italus assumendum e sequentibus Italum robur. Sed naturalis verborum ordo, ut nunc legitur, ipse invitis etiam ostendit navitam Poenum et militem Poenum. Pro importuna voce Poenus mihi aliquid requiri videtur, unde intelligamus, quid in Bosporo praecipue sit timendum. Si v. c. legeretur navita Bospori Aestus perhorrescit, vel simile quid, esset simplex et perspicua sententia. Mercatores nostri timent impetum Bospori, milites nostri timent fugam simulatam Parthorum, Parthi timent milites nostros. De Bosporo ipso cfr. Horat. II. Carm. 20., 14. et III. 4., 30.«* — Emendationem et hic Peerlkampius et v. 17. Bentleius (*reducem fugam pro celerem*) tentarunt recte existimantes ita Horatium scribere non potuisse: at interpolatorem illum cui haec debentur non est quod invitum vitis liberemus. Servabitur igitur *navita Poenus*. Poeni autem non ita frequenter in Bosporum totamque eam regionem navigabant, ut illius pericula potissimum formidarent. Et quamvis illis haec navigatio usitata fuerit atque eam ob causam etiam periculosa, tamen peritus nauta, quales Poeni erant, Bospori periculis evitatis minime ab omni discrimine tutus sibi videri poterat, cum et Pontus littoraeque eius ultra Bosporum naviganti et renaviganti mare Aegaeum quam plurima et maxima pericula minaretur. Notior est haec res quam ut exemplis eam demonstrarem. Deinde in sequentibus verbis male est factum, quod *miles* obscure dictum est pro *milite Romano*; nec *celerem fugam Parthi*, fortasse ex II. 7., 9. petitam, adhuc quisquam satis potuit defendere. Tum *catenas* esse intelligendas *Italas* etsi ex *Italo robore* perspicitur, tamen alieno loco commune utrique nomini adiectivum collocatum est. Et quae tandem est ista sententia, Parthos nihil nisi Romanorum catenas et robur metuere? Non etiam mortem? non hanc etiam magis quam captivitatem? nisi forte auctor simul mortem in catenis oppetendam intellexit. At sicut nunc est, haec proxime sequenti sententiae non congruunt. Praeterea v. 17. aut 18. verbum erat addendum; nunc enim dubium est *perhorrescit* an *timet* repetendum sit. Denique cum in praecedentibus verbis non populus Romanus nec Parthorum natio, sed singuli tantum Romani et Parthi intelligi possint, incite dictum est *sed improvisa leti vis rapuit rapietque gentes*. Quemadmodum autem interpolator hoc carmen locis communibus inepte illatis corruptit, similiter etiam alia carmina de quibus sum acturus corrupta esse demonstrabo.

De Carm. III. 29.

Priusquam hic ad institutum meum pergam ut Horatium pannis assutis liberem, interpretem agam v. 6. Legitur enim:

Eripe te morae, 5.
Ne semper udum Tibur et Aesulae
Declive contempleris arvom et
Telegoni iuga parricidae.

Post *morae* v. 5. in ed. Bas. 1545. Lamb. 1605. ac sine dubio in aliis antiquioribus, et ut nunc ipsum video, apud Meinekium commate distinguitur, in iis recentiorum quas ego ad manum habeo, aut colo aut semicolo. Lambinus etsi locum non explicavit, videtur tamen ut alii *ne* pro finali particula habuisse; quae ratio non minoribus laborat incommodis quam eorum qui vetandi particulam esse putant. Utroque enim modo contemplari necessario significaret e longinquo aspicere. Quod fieri non posse intelligens Peerlkampius: »contemplamur aliquid praesentes, vel non longius remoti, ita ut singulas res visu agnoscere et probe distinguere possimus. Quid multa? Horatius scripsit: *Eripe te morae, Ut — contempleris. Eripe te morae, urbem relinque, et contemplare aliquando Tibur. — Iunge: ut contempleris Tibur semper udum.* Vere et in hoc, ut *semper udum* iungeret, Marklandum aut potius Hardingium secutus est et sententiam emendatione sua rectam dedit. Verumtamen non est credibile, tum apertam et facilem sententiam a librariis ut in *ne* mutato esse obscuratam et corruptam. Sed recte se habet librorum scriptura commate post *morae* posito, modo *ne* aliter accipiatur. Est autem hic idem usus particulae ac post verba prohibendi, ut proxime cum *morae* verba *ne — contempleris* iungenda sint: *eripe te omnibus rebus quae te morantur, tolle quidquid in mora tibi est, ne — contempleris, omni mora rupta et sublata quam primum contemplare Tibur semper udum.*

Iam si illis quae supra posuimus Horatii verbis statim haec subiicerentur:

Iam clarus occultum Andromedae pater
Ostendit ignem, iam Procyon furit
Et stella vesani Leonis
Sole dies referente siccos; 20.

Iam pastor umbras cum grege languido cett.

sententiae arte et apte essent nexae. *Quam primum urbe relicta rus veni; iam enim adest tempus rusticandi, cum gravissimus sit aestus et maxime iis molestus qui in urbe degunt.* Nunc autem haec inserta leguntur

Fastidiosam desere copiam et
Molem propinquam nubibus arduis; 10.
Omitte mirari beatae
Fumum et opes strepitumque Romae.

Plerumque gratae divitibus vices,
Mundaeque parvo sub lare pauperum
Coenae sine aulacis et ostro 15.
Sollicitam explicuere frontem.

Harum stropharum priorem etiam Peerlkampius spuriam esse iudicavit his argumentis: »*Scholias in superioribus legentes: nec semper udim Tibur contemplere, addiderunt hanc interpretationem, quae est commentatoris Cruquiani: »Turrin in hortis suis construxisse dicebatur Maecenas, unde haec prospiceret.« Et hoc necessarium erat, ut sciremus quomodo Maecenas Romae Tibur videre posset. Non erat necessarium, si Horatius statim addidisset »desere molem propinquam nubibus arduis.« Pro copia magis Latinum esset copiae.« Tum ad vv. 10. 11.: »Maecenas, hoc tempore urbi praefectus, erat anxius propter bella imminentia. Tali animo quis miratur fumum, opes et strepitum urbis? Et omnino quis miratur, quod in magnis urbibus pessimum est, fumum et strepitum? Mirari potest, qui primum videt, v. c. rusticus aliquis, non Maecenas, qui propter consuetudinem iam non sentiebat. Et erat in turri sua satis a molestiis istis remotus. Cur autem ille miraretur opes? Qui omnia haberet, quae cuperet? Sed et vox opes hic incertae admodum significationis est, adeo ut interpretes fere nesciant quam sumturi sint. Neque bene convenit cum fumo et strepitu. Atque adhuc secutus sum vulgatam fumi interpretationem. Quid fiet, si fumum non proprie accipiamus? Tum Maecenas miraretur homines vanos et assentatores. cfr. Martial. IV. epigr. 5. — Neque verbum omittit omni vitio caret. Omittimus aliquid, quod non repetimus, nisi addatur parumper, aliquamdiu. Iam Horatius non poterat rogare Maecenatem, ut omitteret Romae vivere, sed ut dies aliquot urbem relinqueret et ruri frontem explicaret.« His argumentis equidem non dubito accedere, licet non recte mihi videatur copiam singulari numero positum reprehendere, qui ipsam qua Maecenas fruitur condicionem significet. Praeterea autem hoc addo, hac stropa verba Horatii illa *eripe te morae* explicari et quae res eum morari possint enumerari. At deserendam esse urbem et eius delicias iam antea satis indicatum erat iis verbis quae non egerent interpretatione. Itaque ego non hanc modo stropham damnandam existimo, quae tamen certe sententiarum nexum non perturbet, sed magis etiam quartam, quia nexum illum loco communi inepte interrumpit. Utraque autem stropa arte cohaeret. Namque *fastidiosae copiae* quartae strophae locus communis opponitur, quae ut aliquo modo inseri posset, illa praemittenda erat. Ac ne vera quidem ab omni parte est quartae strophae sententia. Non plerumque gratae sunt divitibus tales vices, sed et raro hoc fit et si quando fit, magnopere laudatur. Quod sensisse videntur ii qui comma quod post *vices* v. 13. positum erat sustulerunt, ut verba *plerumque gratae divitibus vices* non plenae et absolutae enuntiationis locum haberent, sed et gratae vices et mundae parvo sub lare pauperum coenae sollicitam frontem explicare dicerentur, *plerumque* autem ad *explicuere* referri posset. Quod equidem magnopere vereor ne non recte sit factum: nam tum *divitibus* additum est incommode: *oft hat der den Reichen angenehme Wechsel und ein reinliches Mahl in einem armen Hause die sorgenvolle Stirn geglättet*. Cur enim divitibus quam aliis vices sint gratiores? Pauper quidem homo et miser eas optat multo vehementius, atque omnino res in melius mutatas quisquis mavult quam in deterius. Neque ut cum verbo *explicuere* iungatur *divitibus* ulla ratione fieri potest. Pluralis vero ille *mundae — coenae* metri necessitate esse adhibitus mihi videtur, cum aptior esset singularis quem supra vertendo expressi. — Iam vero ut missum faciam hanc sententiam non esse prorsus veram et incommode loco positam, num Horatius tunc primum*

Maecenatem invitavit, ut ita excusandam putaret apparatus sui tenuitatem? Nemo, opinor, affirmabit, sive cum Kirchnero anno 733., sive cum Frankio a. 729. hoc carmen assignaverit. Nec vero ipse ille apparatus quem Horatius offert tam tenuis est, quo Maecenas quamvis delicatus homo nequeat paucas per horas acquiescere. Cfr. Epod. 9. Carm. III. 8. quod equidem Peerlkampio spurium iudicanti non assentior, cum de I. 20. facile concedam.

De Carm. IV. 4.

In hoc carmine ego non modo ea quae Peerlkampius damnavit, vv. 2. 3. 4. 6. 18—22. (*quibus — omnia*), 41—48. 73—76. eliminanda arbitror, sed praeterea etiam vv. 29—36. 65—68. Sed videamus singula De quibus ubi Peerlkampium sequor, annotationem eius dabo in brevius contractam, quibus ubi quid monendum mihi visum fuerit, mea inseram.

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex deorum regnum in aves vagas
Permisit expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flavo,

Olim iuventas et patrius vigor 5.
Nido laborum propulit inscium
Vernique iam nimbis remotis
Insolitos docuere nisus

Venti paventem cett.

De his Peerlkampius ita disserit: »*Primam versuum interpolatorum (2. 3. 4. 6.) suspicionem mihi excitavit comparationis longitudo. Enarratio autem fabulae tam convenit ingenio grammatici, quam aliena est a re proposita. Frigida parenthesis ne in pedestri quidem oratione tolerari posset. Neque illa satis recte procedunt: »sicuti iuvenis aquila cui Iuppiter regnum in aves dedit, quia fidelem expertus est in Ganymede.« Nam hic neque intelligi potest eadem aquila, sed genus aquilarum: et quae Ganymedem rapuit, non primos nisus tentabat, sed iam erat robusta. Quod sequitur de eadem aquila mox impetus in dracones meditante (v. 11.), hoc difficultatem non plane tollit. Labores aquilae Horatius, credo, non dixisset. Factus videtur hic versus ex sequenti, docuere nisus insolitos.« Persuasit mihi vir sagacissimus, nisi quod v. 6., si per se ipse spectetur, mihi non videtur vituperandus. Nam quidni intenti volatus dicantur labores? At tamen ferri nequit propter molestam eiusdem rei repetitionem; nam cuius nisus dicuntur insoliti, is laborum est inscius. Sed praeter ea quae Peerlkampius notavit vereor ne verba *fidelem — in Ganymede flavo* non recte habeant. Minister fidelis est aut in domino, aut in opera, amicus in amico, aut in amicitia aut in officio aliquo. Iam aquila fidelis esse poterat in Iove aut in opera praestanda, v. c. in rapiendo Ganymede, vel omnino ἐν τοῖς περὶ Γανυμήδην, ut dici posset *expertus — fidelem in Ganymede rapti* i. e. in Ganymedis raptu. Quomodo vero illa fidelis esse potuerit in ipso Ganymede, in persona eius, equidem me fateor non intelligere, nisi forte fidelem eo se praestitit, quod puerum illum non aut alio avexit aut dilaceravit et devoravit, sed incolumem ad Iovem per tulit. Quod quamvis ineptum esset, tamen ne sic quidem oratio vitii foret expers. Nam si pro*

Ganymede leporem aut ovem Iovi afferendam fuisse posueris, quis dixerit aquilam fidelem fuisse in lepore aut ove? Itaque hoc orationis vitium equidem non Horatio tribuerim. Denique *Iuppiter* nomen cum eo quo positum est loco cum pondere quodam additum esse debeat, tamen hoc pondere prorsus caret ac magis ut versus expleretur adiectum videtur. Neque enim, ut non inepte v. 2. *rex deorum et regnum in aves* componuntur, sic v. 4. *Iovem cum Ganymede compositum* dixeris.

Videre Rhaeti bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici; quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi

20.

Dextras obarmet, quaerere distuli;
Nec scire fas est omnia; sed diu
Lateque victrices catervae
Consiliis iuvenis revictae

Sensere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.

25.

Fortes creantur fortibus et bonis;
Est in iuvenis, est in equis patrum
Virtus, neque imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

30.

Doctrina sed vim procreat insitam,
Rectique cultus pectora roborant;
Utcunque defecere mores,
Indecorant bene nata culpae.

35.

Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumeu et Hasdrubal
Devictus et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,

40.

Qui primus alma risit adorea,
Dirus per urbes Afer ut Italas
Ceus flamma per taedas vel Euris
Per Siculas equitavit undas.

Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, et impio
Vastata Poenorum tumultu
Fana deos habuere rectos;

45.

Dixitque tandem perfidus Hannibal cett.

Primum eiectis verbis quibus — omnia vv. 18 — 22. haec tantum Horatii esse :

Videre Rhaeti bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici: et diu
Lateque victrices catervae
Consiliis iuvenis revictae Sensere cett.

cum iam a multis ante Peerlkampium intellectum sit iisque argumentis demonstratum, quae nullum dubitandi locum relinquerent, ne verbum quidem mihi addendum videtur. — Paulo post si versibus 29—36. omissis legatur: *Sensere, quid mens rite, quid indoles Nutrita faustis sub penetralibus Posset, quid Augusti paternus In pueros animus Nerones. Quid debeas, o Roma, Neronibus, Testis Metaurum flumen et Hasdrubal Devictus* cett., nemo fuerit, opinor, cui oratio non bene esse vineta sententiaeque apte procedere videantur. At nunc nexus earum incommode interrumpitur insertis duabus strophis (vv. 29—36.) tanto molestioribus, quia nihil afferunt quod non iam proxime antecedente stropha (vv. 25—28.) satis sit indicatum, nisi quod generalibus sententiis res illustratur. Itaque etsi illae sententiae (*Fortes creantur — culpae*) per se ipsae neque ab elocutione in ullam incurrunt reprehensionem, neque nimis exagitantum est illud, quod non semper fortes creantur a fortibus et bonis (multae enim eiusmodi sententiae non ab omni parte verae sunt et huius quidem non pauci inter Graecos fuerunt auctores); tamen mihi certe, si ipse Horatius haec scripserit,

alieno loco sententiosae sapientiae videtur indulsisse nec eo satis posse excusari quod Augusti Neronumque laudibus hoc modo immorari voluerit. Certius sane et facilius iudicium est de versibus 41—48., de quibus Peerlkampius sic disputat: »*Qui primus alma risit adorea. Glossa poetica grammatici illum diem explicantis. Et observa, plurimas glossas a voce qui incipere, cuius rei in Horatio multa vidimus exempla, et in hoc ipso carmine v. 18. Neque mihi placet alma adorea, neque glossa vera est. Dicit enim auctor, victoriam apud Metaurum fuisse primam, quam Romani reportaverint, ex quo Hannibal in Italiam venit. Atqui constat, iam a. U. c. 538. et duobus sequentibus Poenos a M. Claudio Marcello praetore apud Nolam fuisse profligatos. Clades apud Metaurum accidit a. U. c. 546. Marcellus prima victoria Nolana docuit Hannibalem vinci posse, eaque res Romanis de re summa fere iam desperantibus animum reddidit. Itaque historici dies Nolanos multis laudibus celebraverunt. Liv. XXIII. 16. Plutarch. Marcell. c. 11. extr. Valer. Max. I. 6., 9. Atque ista victoria Nolana tam crebro et grato omnium sermone usurpabatur, ut propemodum res in proverbium abierit. Cic. Brut. 8. Hieron. Ep. 7.*» Quae contra haec Orellius dicit, nihil valent. Dixerit fortasse quispiam Claudii Neronis victoriam ideo primam ex quo Hannibal in Italiam invaserit appellari, quia prima illa tanti momenti fuerit, ut Hannibal de rebus suis desperare cogeretur; sed hoc totius loci ratio non admittit. — Iniuria deinde Peerlkampius ἀνυπολόγητον vituperat quod flamma dicatur per taedas equitasse, ad quod satis respondit Orellius. Pergit ille ad vv. 45. sqq.: »*Horatii sententia est: Victoria apud Metaurum animos Hannibali fregit, et tandem dixit: «Victi a nobis toties Romani nos vicere. Actum de nobis est Hasdrubale interemto.» Quae post cladem Hasdrubalis accidere, non huc pertinent et ab oratione Hannibalis aliena sunt. Agitur de laude Claudii Neronis, non aliorum imperatorum, qui post Neronem praeclare de patria meriti sunt. Ne dicam quam humile sit hoc loco post hoc.— Romana pubes crevit. Scholiastae interpretantur Roma crevit. Et bene diceretur Roma crescere. Sed pubes Romana Latine non potest significare Romam. Est enim exercitus Romanus ex adolescentibus compositus, ut Tibull. I. 7. 5. Iam exercitus crescit secundis laboribus esset exercitus numero augetur. Latinum est res Romana crevit, non pubes Romana. Ut Graece Eurip. Suppl. 323. patria ἐν τοῖς πόνοισιν αὐξεται. (Quae contra hanc verissimam disputationem ex Bosschae interpretatione Orellius affert Ovid. Her. 15., 117.: Gaudet et e nostro crescit maerore Charaxus, et Liv. V. 16.: Veis interim non animi tantum in dies, sed etiam vires crescebant, ea nihil omnino ad rem faciunt; et posterior quidem locus cuius sexcenti possunt afferri similes ne forma quidem dicendi aptus est. Nec tamen iure Peerlkampius dubitat num recte secundi dicantur labores. Certe similiter Quintil. X. 7., 17.: secundos impetus auget placendi cupido.) Poenorum tumultu. Tumultus de bello tam atroci tamque diuturno verbum lenius est. (Ne his quidem Orellius recte obloquitur.) Fana deos habuere rectos. Quia dii stant recti, hinc non intelligitur templa esse resecta. Alii interpretantur: dii et cultus deorum restitutus est in integrum, sacra instaurata sunt. Ergo, ut hoc utar, Iuppiter rectus est significat sacra Iovi instaurata sunt? Non puto. Alii emendarunt tectos.» In his argutus est vir doctissimus. Si templa prius vastata iterum deos habent rectos, i. e. si simulacra quae fuerant deiecta in bases suas restituta sunt, necessario sequitur etiam templa esse restituta.*

Sed caput rei est, quod, ut etiam Peerlkampius significavit, inter Claudii Neronis victoriam et Hannibalis accepto eo nuntio orationem res alienae et longioris temporis tam inepte interponuntur, ut Horatii ingenio iniuriam faciat qui ista ab illo scripta esse asseveraverit. — Deinde in Hannibalis oratione haec leguntur vv. 61. sqq.

Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem,
Monstrumve submittere Colchi
Maius Echioniaeve Thebae.

*Merses profundo, pulchrior evenit;
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem geretque
Proelia coniugibus loquenda.*

Carthagini iam non ego nuntios
Mittam superbos: occidit, occidit 10.
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis Hasdrubale interempto.

65. *Nil Claudiae non perficient manus,
Quas et benigno numine Iuppiter
Defendit et curae sagaces 15.
Expediunt per acuta belli.*

Versus 65—68. non solum eo mihi videntur vituperandi esse, quia quasi commentarium quendam quattuor antecedentium, maxime vv. 61. 62. praebent nec quidquam continent, quod non iam illa Claudii cum hydra comparatione sit expressum, sed etiam quia oratio laborat. Nam sive v. 65. *evenit* legeris, et tempore peccatur, cum sequantur futura *proruet* — *geret*, quae plures libri in iisque optimi tuentur, et sine exemplo *evenire* positum pro *exire* aut *emergere*; sive cum quibusdam libris *exiet* scripseris, invito Horatio obrudimus formam verbi inusitatam. — Vv. 66. sq. conveniunt cum Hannibalis verbis apud Livium XXVII. 15. *Seu vicit* (Romanus), *ferociter instat victis*; *seu victus est, instaurat cum victoribus certamen*; magisque etiam apud Iustin. XXXI. 5.: *Cum Romano, seu occupaveris prior aliqua, seu viceris, tamen etiam cum victo et iacente luctandum est*, unde nostra fortasse originem duxisse conieceris. — Merito interpretes laborarunt explicandis verbis *proelia coniugibus loquenda*? Utrorumnam coniugibus? Romanorumne an Carthaginiensium? an utrorumque? Qui comparaverunt Salustii locum (fr. 204. p. 257. Gerl.): *Hispanis mos fuit ut in bella euntibus parentum facta memorentur a matribus*, Romanorum coniuges dici putarunt, quae de illis proeliis et cum filiis et inter se cum voluptate iustaque gloriatione verba facerent. Ad quae recte Peerlkampius: »*Sed laus ea est tenuis, si feminae tantum de virtute militari loquantur et mulieres interfectorum doleant. Neque ea laus est diuturna, finienda nempe cum morte earum quae maritos amiserant.*« Quod vero idem emendandum putat *proelia carminibus loquenda*, me non habet assentientem, et quod haec mutatio audacior est et quod auctori ipsi librorum scripturam deberi existimo, qui fortasse ex I., I. 24. *bellaque matribus detestata*, IV. 9, 21. *dicenda Musis proelia*, 15. 1.: *Phoebus volentem proelia me loqui* sua conflavit. Horatio autem sicut tam insulsam sententiam crimini daremus, ita interpolatori facile condonamus.

Horatius cum hoc carmen gravissime iis verbis conclusisset quibus summa exprimeretur quasi prorsus concidentis Hannibalis desperatio: *Carthagini iam non ego nuntios Mittam superbos: occidit, occidit Spes omnis et fortuna nostri Nominis Hasdrubale interempto*, quibus etiam Neronum laus maxime extollitur; interpolator hanc stropham addidit: *Nil Claudiae — per acuta belli*. Quae inepta esse iam ex eo apparet, quod interpretibus dubitationem moverunt, utrum

